

270

ANTIQUITATES VARIAE.

DULODORUS; talis enim videri potest apud Philippum Buonanni, qui ex professo de Conchis scripsit. Multo aliter se habet Concha, quam Venus nostra praefert; Striata enim est, & patula, qualiter Pectines solent. An & talis Veneri dicata est? excepit ARCHÆOPHILUS. Est, inquit DULODORUS, & quidem à primis nativitatibus primordiis; Nam cum è mari prognata esset, tali Conchâ memoratur in Cyprum navigasse. Res ex marmore paret, inter alia plurima à Cel. Pighio delineato: Paret & ex Lil. Gyrardo, qui Venerem nunc ut puellam in Concha è mari exeuntem, nunc ut foeminam Concham tenentem, observat, fuisse effictam. Si hæc ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, duplex ego Concharum genus Veneri sacrum agnoverim. Imò & addiderim Conchas margaritiferas, cum Julius Cæsar Thoracem, ex margaritis Britannicis factum, Veneri Genetrici legatur dedicasse. An ad Conchas hoc pertineat, excepit DULODORUS, alii judicent. Ego potius ex Hesychio adhuc observavero, Concharum aliquod genus etiam *Veneris aurem* vocatum esse. Οὗς Αφροδίτης. οἱ ἀλιεῖς, inquit, ὄρεόν τι ἕτω καλῶσιν. Sequitur

V E N U S  
COLUMBAM PRÆFERENS,



Columbas, inquit ARCHÆOPHILUS, Veneri sacras fuisse, tritum est. Silio *Catheria* ales, & *delecta Veneri*, notæque ab amore *Dionæ*: Statio *Idæia volueres*: Martiali *Paphia* vocantur: Et quis nescit, Veneris eas currui fuisse junctas? De his, respondit DULODORUS, plura T. I. p. 203. In proposito simulacro autem illud singulare est, quod columbam Venus manu præferat, id quod